



rium maluit. Apud nos dum vixit, Lutheranae religioni se numquam addixit. Interea, multae tamen Tuae ad hunc Tuum charissimum Iordanum leguntur epistolae. Prima hominem adhortatur, velit deserto Lutheranismus redire ad Romanensium religionem. Altera, de felici illa, si diis placet, mutatione triumphat, Iordanoque pulchre gratulatur, et 200 florenos promittit. Tertia, iam in monasterium rediisse Iordanum Tuum, annuntiat. His lectis, exclamarunt nostrates: quam lepida fabella! Et quum ista omnino scripta, imo typis impressa essent, ille Iordanus adhuc vixit Helmstadii, et officio suo functus est, constanter negans, se talia unquam ad Te scripsisse.

In his autem litteris, quas Ipse pro maxima benevolentia Tua ad hunc Iordanum exarasti, satis confidenter hunc Tuum sodalem adloqueris: *Rationem, ais, quam ipse excogitavi, doctum illum virum, (Rothfischerum intelligis) ad incitas redigendi, deprehendisti iam ex epistola hortatoria, quam ad eum exaravi.* Quid, quaeso, efficient litterae illae, quibus, omnis argumentis solidis, hic veritatis confessor blanditiis promissisque obruitur, contra blanditias omnes plane immotus? Cui vsui erant paragraphi illi Rothfischeriani tanto numero exscripti, quorum nexum et vim conuincendi ille optime nouit, qui mentis suae perspicaciam satis probauit? et quum vnum, alterumue vitium in demonstrando adhuc illi obiiceretur, etiam haec emendauit, illorum quidem partibus se addicens, contra quos disputare voluerat, sed re accurate perpensa, disputare non posse, probe intelligens. Nihilo secius dicitur Rothfischerus noster ad incitas redactus esse. Num quis priora adserta diligenter a se meditata reuocans, ad ea reduci poterit, si pristina illi dogmata, quae distincte nouit, pristina argumenta, quae ipse excogitauit, et quorum vim, vel infirmitatem melius, quam omnes alii, perspicit, illi opponuntur, tacite supponendo, propria reuocare, esse ignominiam? Num ergo peccauit *Augustinus* ad Catholicos transiens? Num *Pius II.* peccauit, Aeneae Syluii scripta damnans? Num vterque ad aliam mentem reuocari potuisset, si integras paginas priorum librorum aliquis exscripsisset, ipsisque ob oculos posuisset? Annon hoc sapientis est, libere profiteri, ubi errauerit? Sacras euoluens paginas, ruminans veteris ecclesiae acta, mentem mutauit Rothfischerus, quem nostrum iam nominamus, non philosophia Wolfiana, vt quidam somniantur Iesuitae, seductus.

Quam facilis foret, Praesul maxime, ad ea, quae Rothfischeri nostro obiecisti, responsio? Quam facilis eius ecclesiae defensio, quae necessitatem bonorum operum summopere docet, eumque, qui non est  
in

in